

nicant in visione et fruitione ejus, et in aliis supernaturalibus donis; constat autem id esse falsum, quia vera divina servitus inseparabilis est, saltem a pura creatura. Unde etiam in die iudicii ad Sanctos et electos dicitur: *Euge, serve bone et fidelis*, ut notavit August., tract. 85 in Joan.

30. Neque obstat quod Christus dixit, Joan. 15: *Jam non dicam vos servos, sed amicos*; nam idem August., cit. loc., intelligendum hoc censet de servitute servili (ut sic dicam) quæ ex timore nascitur, non vero excludi servitutem filialem, quæ cum charitate et filiatione adoptiva conjuncta est, nam timor et reverentia filiorum in æternum manet. Alii vero, cum Irenæo, lib. 4 cont. hæres., c. 27, intelligunt locum illum de servitute legali, quæ per libertatem legis gratiæ exclusa est; nam in lege veteri non tam clare et aperte revelabantur omnibus divina mysteria; in lege autem nova quasi revelata facie gloriam Domini speculamur, et ideo dicitur agere Deus nobiscum tanquam cum amicis. Quæ expositio parum a priori differt, nam servitus legis veteris ideo potissimum in lege nova exclusa est, quia jam non accepimus spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, *Abba, pater*, ut dicitur ad Rom. 8. Deinde Christus illo loco non dicit, Non estis servi, sed, *Non dicam vos servos*, id est, non agam vobiscum tanquam cum servis, quia non solet dominus cum servo familiariter agere, et sui cordis secreta ei revelare; et hoc est quod subdit: *Quia servus nescit quid faciat dominus ejus; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.*

31. Et sic etiam posset intelligi illud Joan. 8: *Servus non manet in domo in æternum, filius manet in æternum*; inde enim non licet inferre, beatos, qui manent in domo Dei in æternum, non esse servos; nam, licet servo, ea ratione qua servus est, non debeat ut maneat in domo in æternum, tamen si aliqui filius sit, poterit manere in domo patris in æternum. In quo est etiam differentia inter servitutem ad Deum et ad homines, quod hæc per filiationem adoptivam excluditur, ut constat ex § ult. Instit., de Adopt.; illa vero non excluditur, sed perficitur; imo ipsamet filiatio adoptiva ad Deum intrinsece et quasi essentialiter est altior quædam ac perfectior servitus divina; et ideo non omnis servus excluditur ab æterna habitatione in domo Dei, sed ille qui non est filius. Proprie vero et ad

litteram, in illo loco Joan. 8, non est sermo de servitute ad Deum, sed de servitute peccati; præmiserat enim Christus: *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati*; et subdit: *Servus autem non manet in domo in æternum*; intelligit ergo de servo peccati, nam servus Dei in æterna ejus domo manet; imo huic servituti, si perfecta sit, illa debetur hæreditas.

32. Igitur (ut rationem concludamus) non omnis communicatio seu participatio divinorum honorum excludit servitutem ad Deum. Quæ est ergo communicatio quæ illam excludit? Certe de nulla communicatione id affirmari potest, quæ in pura creatura reperiri possit; quia, in specie loquendo, fortasse nulla major participatio divinæ excellentiæ ac hæreditatis fieri potest cum pura creatura, quam nunc fiat per gratiam et gloriam; major autem vel minor intensio sola non potest quicquam conferre ad hunc effectum. Maxime quod in Beatissima Virgine est illa honorum communicatio in excellentissima quadam perfectione; neque hoc solum habet, sed etiam conjuncta est cum dignitate matris Dei, qua nulla major et excellentior videtur communicabilis personæ creatæ. Unde ratione illius quodammodo communicantur Beatissimæ Virgini divini tituli, ut Regina cæli et terræ, et domina omnium dicatur; et nihilominus tota illa communicatio non excludit veram denominationem, et relationem servitutis ad Deum; ergo nulla communicatio divinorum honorum, possibilis fieri personæ creatæ, excludit ab illa propriam relationem et denominationem servi Dei. Quæ ergo communicatio illam impedit? Reliquum itaque erit, solam communicationem hypostaticæ unionis illam impedire; quod, cum non sit in aliqua communi et recepta ratione servitutis fundatum, solum videtur inventum ad hanc quæstionem definiendam, et receptam a Patribus locutionem negandam.

33. Unde, ut aliquam certam regulam et generalem in hoc statuere possimus, illa sola communicatio in bonis impedire videtur rationem servitutis, quæ constituit æqualitatem inter eos qui in bonis communicant, quia servus, hoc ipso quod servus est, inferior esse debet; atque hoc modo recte colligunt Sancti Patres, Verbum divinum non posse esse servum Patris, quia est illi æquale. Et fortasse ob eam causam servitus humana per adoptivam filiationem tollitur, cum tamen non tollatur divina, quia, cum inter homines sit æqualitas

in natura, et per adoptionem addatur quædam æqualitas in statu, honore ac hæreditario jure, eo fere modo quo solet illam habere filius naturalis, consentaneum est ut talis adoptio servitutem humanam expellat; et idem fere est de vinculo conjugii, facit enim inter conjuges quamdam æqualitatem, et ideo merito relationem servitutis unius ad alterum excludit; quanquam posset etiam harum legum alia ratio reddi, quam infra attingam. At vero adoptio divina nullo modo facit filium Deo æqualem, sed relinquit inferiorem ac subditum, totumque sub potestate Dei ut supremi domini constitutum; et eadem ratione maternitas divina non excludit veram servitutis seu ancillæ rationem, quia semper manet persona omnino inferior; maxime cum non sit mater Dei ut Dei, sed ut hominis. Juxta hanc vero regulam verius colligimus, etiam communicationem honorum Dei per unionem hypostaticam non excludere a Christo ut homine veram et propriam relationem seu denominationem servitutis. Nam, licet humanitas unita, sit ipsamet divinitate sanctificata, tamen non est effecta æqualis divinitati, neque æque sancta et excellens ac ipsa divinitas; ergo, non obstante unione, manet in ea sufficiens fundamentum, seu conditio ut servum constituat. Vel aliter (et in idem redit) Christus ut homo non est æqualis Deo, sed minor et inferior, ut patet ex Joan. 14, et supra dictum est; ergo ex vi unionis non fit Christus, ut homo, incapax servitutis ad Deum.

34. Et confirmatur ac declaratur, nam tota illa communicatio honorum, quæ est inter Christum ut hominem, et Deum, non est cum æqualitate, sed cum quadam inferioritate; ergo non est cur omnino servituti repugnet. Antecedens patet, discurrendo per omnia bona hujus communicationis, quia Christus ut homo non est tam sanctus sicut Deus, quia non est sanctus per essentiam, sed per unionem humanitatis ad sanctitatem per essentiam. Item non est æque beatus ac Deus, ut per se constat. Item, quod attinet ad titulos majestatis, non attribuuntur Christo ut homini, etiam si Christo simpliciter tribuantur; quod forte sufficere ut Christus non sit simpliciter dicendus servus, de quo postea dicemus; tamen, cum determinatione specificante vel reduplicante, Christus, in quantum homo, neque est omnipotens, neque infinitus, nec denique Deus, nisi extrahendo illam determinationem ad suppositum, quo modo nunc non

loquimur. Similiter in hoc sensu, Christus, in quantum homo, non est Filius Dei naturalis, quatenus hæc filiatio consurgit per generationem æternam, et dicit omnimodam æqualitatem, sed alio inferiori modo dicitur Filius naturalis per gratiam unionis; ergo neque ista communicatio aut filiatio, cum in inferiori ordine maneat, necessario excludit veram servitutem a Christo ut homine. Cujus etiam signum esse potest, quia per eam non habet Christus, ut homo, jus ad totam, seu ad æqualem Patris hæreditatem, quia non habet jus ad beatitudinem per essentiam, seu ad comprehendendam divinitatem per humanitatem suam; ergo non est cur hoc jus hæreditarium excludat ab illa natura relationem servitutis. Tandem, si consideremus communicationem in honore seu adoratione, licet verum sit eadem latria, qua Verbum colitur, adorari humanitatem ejus, tamen, si mente distinguamus illam adorationem ut humanitatem attingit, inveniemus inferiori quodam modo ad illam pertinere, quam ad Verbum; et respectu humanitatis esse respectivam, ad Verbum autem esse absolutam. Colitur enim Verbum propter se ipsum, humanitas vero non propter se, sed propter Verbum. Sicut quando adoramus sanctum hominem, eodem actu corpus et animam ejus veneramus, et nihilominus non æque, quia animam propter se, corpus autem propter animam, et ideo corpus semper manet inferius, et quasi aliquid servile respectu animæ. Sic ergo philosophari licet de humanitate respectu divinitatis, quantumvis sit ei substantialiter conjuncta. Unde, si reduplicative sumatur illa determinatio, *Christus in quantum homo*, non est adorabilis æquali adoratione ac Deus in quantum Deus, sed inferiori alio cultu, ut q. 25 videbimus. Imo ipse Christus ut homo adorat Deum eodem genere cultus et submissionis, quo nos Deum colimus et adoramus; nam ei sacrificium offert, ut infra, q. 22, et latius in 3 tomo videbimus; in quo actu suprema ratio hujus cultus manifestatur, ut ibidem dicemus; ergo recognoscit se ipsum ut servum, et Deum ut dominum suum; hoc enim genere cultus nos Deum adoramus.

35. Ultimo, potest tota hæc ratio amplius confirmari et urgeri ex parte Dei, nam, ut ex Hilario supra citavimus, dominus ad servum dicitur. Unde recte infert D. Thom. 2. 2, q. 81, art. 1, ad tertium, ubi est specialis ratio domini, ibi esse debere specialem rationem servitutis; sed Deus est vere ac proprie do-

minus Christi ut hominis; ergo etiam Christus ut homo est servus Dei. Minor probatur, quia dominium omnium rerum inferiorum seu conditarum tam est intrinsecum et connaturale Deo, ut ipsemet non possit se ipsum illo privare; Christus autem ut homo inter res Deo inferiores et ab ipso conditas numerandus est. Respondent aliqui, si per dominium intelligatur potestas dominandi seu utendi re in omnem usum, sic verum esse habere Deum dominium in Christum ut hominem; si vero intelligatur de relatione domini, sic non esse verum reperiri in Deo respectu Christi. Sed hæc distinctio difficultatem non evacuat, nam hæc relatio domini in Deo non est realis, sed rationis, ut omnes Theologi docent; unde proprium ac verum dominium, quod est intrinsecum et connaturale Deo, supposita productione creaturæ, in ejus potestate et voluntate consistit; ergo, si in Christum ut hominem habet Deus prædictam potestatem, habet verum et reale dominium, quale in Deo esse potest. Ac deinde, supposita tali potestate, respectu Christi ut hominis, cur non poterit mens nostra, conferendo illa extrema, respectum inter ea invenire? aut confingere quod si id potest, is non erit alius ex parte Dei nisi respectus domini, nisi novum aliquod nomen excogitetur ad vim argumenti eludendam. Denique in hunc modum hoc ipsum declaro, nam Deus, quantumcunque bona sua communicet cum creatura, non amittit in illam domini potestatem; ergo neque est cur nomen seu denominationem domini amittat, et consequenter nec respectum aut rationem domini. Unde inter homines, nunquam is, qui dominus alterius antea erat, amittet relationem vel appellationem domini propter solam honorum communicationem, nisi etiam privetur aliqua potestate, quam antea habebat in eum qui erat servus. Et hoc modo per conjugium uxor desinit esse ancilla, et per adoptionem amittitur servitus, quia potestas utendi tali re, aut tollitur, aut mutatur. Si autem eadem potestas maneret integra juxta civilia jura, quantumcunque beneficia dominus in servum conferret, non propterea dominus esse desineret. Cur enim? Sic ergo contingit in Deo, cujus potestas in opus suum nec tolli, nec minui potest; et ideo, quantumvis bona sua communicet, quod nihil aliud est quam beneficia conferre, non propterea desinet esse aut dici dominus. Imo (si ita loqui fas est) eo est magis alicujus dominus, quo pluribus bonis eum cumulavit.

36. Nec vero dici potest communicationem honorum Dei cum Christo, non esse ex beneficio Dei, sed esse connaturalem, ex personæ dignitate. Nam hoc est verum respectu Christi ut Deus est, et consequenter respectu etiam Christi simpliciter et sine determinatione sumpti, quia Christus, absolute dictus, non est Deus ex beneficio, sed ex natura; non est tamen id verum respectu Christi ut hominis, quia omnis divinorum honorum communicatio, quæ in illo ut homine reperitur, orta est ex beneficio et gratia suæ humanitati collata, ratione cujus nec potestatem nec nomen domini Deus amisit respectu illius. Quo factum est ut Christus ut homo per eam humanitatem vere ac proprie sit sub dominio Dei constitutus, et quod ex beneficio Dei habeat omnia bona quæ illi ut homini communicata sunt; hæc ergo communicatio honorum nihil obstat quominus et Deus sit vere ac proprie dominus Christi ut hominis, et consequenter ut e contrario etiam Christus ut homo sit vere ac proprie servus Dei.

37. *Approbatur secunda sententia.* — Hæc, quæ in hujus posterioris sententiæ confirmationem adduxi, tantum apud me habent pondus auctoritatis et rationis, ut nullatenus negandum existimem, quin sit in Christo ut homine aliqua vera et propria ratio servitutis ad Deum, ac proinde vere ac proprie possit sub aliqua ratione dici servus Dei; quatenus, nimirum, est sub potestate ejus, et non solum illi in omnibus parere tenetur, sed etiam ab illo in omnibus pendet; et e contrario Deus potest illo uti prout sibi placuerit. Imo ulterius addo, juxta communem usum hujus vocis, *servus Dei*, sine ullo periculo vel suspitione erroris posse de Christo ut homine prædicari; quia revera hæc servitus nullam ignobilitatem importat aut requirit, præter eam quæ in ratione naturæ creatæ includitur; nullo autem modo exigit creatam personam, præsertim quando non de aliquo simpliciter, sed cum illa determinatione, *ut homo*, prædicatur.

38. Quod si aliquis a me inquirat quam certam posteriorem hanc sententiam esse existimem, libentius aliorum in hoc judicium audiam, quam meum proferam. Non dubito tamen quin, si Adrianus Papa et Concilium Francoford. specie tenus oppositam sententiam docuisse non viderentur, posterior hæc opinio certa et de fide a Theologis existimaretur; si ergo ostenderimus Adrianum et Con-

cilium illi non repugnare, nam de cæteris Patribus id facillimum est, satis fundata ac fere certa illius veritas relinquetur.

39. *Questiuncula.* — *Prima opinio.* — Ad definitionem igitur Concilii Francoford. prima responsio esse potest, illam epistolam, quæ sub nomine Adriani circumfertur, non constare fuisse illius, quia nuper in lucem prodit, et ignoratur quo loco inventa sit, et quæ certa auctoritate vel traditione Adriano tribuatur; si autem illa epistola authentica non est, tota illius Concilii auctoritas fit incerta, tum quod generale non sit, et ideo sine Pontificis auctoritate infallibilem definitionem non habeat; tum etiam quod in decretis seu epistolis, quæ nomine illius Concilii circumferuntur, eadem sit incertitudo quæ in Adriani epistola. Sed hæc responsio, quicquid alii sentiant, nobis probanda non est, et jam hoc tempore non nihil temeritatis habere videtur, quia illa decreta, magna consensione recepta sunt, de qua re latius infra dicam, q. 23.

40. *Secunda opinio.* — Secunda responsio est, Adrianum et Concilium ex instituto non tractasse de servitute Christi, sed de adoptione tantum, et ideo, quæ de servitute dicunt, non habere infallibilem auctoritatem, quia hæc in decretis Pontificum et Conciliorum solum est circa ea quæ per se et ex instituto definiuntur, non vero circa ea quæ obiter attinguntur, neque in rationibus, aut testimoniis, aut aliis hujusmodi quæ afferuntur. Sed hæc responsio est etiam nimis libera et præceps, nam plane concedit, eos Patres errasse in his, quæ de servitute docent, quod nimis derogat eorum auctoritati; nam, licet verum sit, in omnibus historiis quæ Felicianæ hæresis meminerunt, quam Elipandus secutus est, referri errorem circa adoptionem Christi, quem dicunt fuisse damnatum, nulla fere mentione facta de servitute, ut latius infra, q. 23, referemus, et interim videri potest apud nostrum Joannem Marianum, lib. 7 suæ historiæ de rebus Hispaniæ, c. 8, nihilominus, qui attente et sincere legerit epistolam Adriani (et idem est de Concilio), plane conspiciet illum æque damnare sententiam Elipandi in articulo servitutis, atque in articulo adoptionis, et fere æque ex professo de utroque disputare, nam magnam ejus epistolæ partem in persuadendo ac probando hoc puncto de servitute consumit. Quocirca, quamvis ingenuè fatear non omnia argumenta, quibus utitur, esse solida, ut facile ex probationibus posterioris sententiæ supra positæ

intelligi potest, tamen, quod in conclusione, intenta eo sensu quo illam profert, erraverit, nulla ratione censeo esse admittendum.

41. *Tertia opinio.* — Tertia responsio esse potest, Adrianum non reprehendisse Elipandum in hac parte, eo quod falsum diceret, sed eo quod indigne et irreverenter de Christo loqueretur; quod quidem ex multis ipsius Elipandi verbis colligi potest, nam in confessione ejus quæ ex libro Beati et Heterii refertur, Christum non solum servum, sed etiam servulum appellat, dicens, *cum parvulo parvuli, et cum servulo servuli*. Item non tantum *servum*, sed etiam *leprosum* vocat, quod merito reprehendit Adrianus, quia Christus nec lepram corporis habuit, nec animi, quæ non est nisi peccatum; nam pœna peccati, et præsertim propter aliena peccata voluntarie suscepta, lepra dici non potest. Et ideo Isaia 53, etiam juxta vulgatam lectionem, non dicitur, Fuit leprosus, sed, *Putavimus eum quasi leprosum*, id est, dignum illis pœnis pro peccatis suis, cum tamen ipse vulneratus fuerit propter iniquitates nostras. Denique in epistola Concilii, præsertim in fine, hoc indicatur illis verbis: *Cur eum servum nominare debemus, qui nos amicos maluit nominare, quam servos?* etc. Sed, licet verum sit Adrianum et Concilium reprehendere insolentiam et audaciam Elipandi, tamen non est dubium quin etiam falsitatem et erroneum sensum ejus damnent. Neque ad hoc persuadendum oportet plura verba referre, quam in principio citata sunt, quia illa videntur expressa, et, si attente legantur illa decreta, res est tam clara, ut non egeat probatione.

42. *Quarta opinio.* — Quarta ergo responsio est, Concilium loqui de servitute spirituali fundata in conditione servili, qua is, qui servus est, non ex amore caret, et reveretur dominum suum, sed ex timore pœnæ, et quasi coacte. Itaque hoc modo negare Christum esse servum, nil aliud est quam negare obediisse aut servivisse Deo spiritu servili et timoris. Hanc expositionem adhibuit quidam modernus interpres D. Thom., et ad hunc sensum inducit illa verba Concilii in sua epistola: *Et si eum Propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servili, sed ex humilitatis obedientia*, ubi per conditionem servilem, spiritum timoris intelligit. Hæc vero expositio dicit quidem quippiam verum, tamen sine fundamento illud attribuit Adriano aut Concilio. Verum namque est, in Christo non fuisse illum servitutis spiritum seu timo-

rem cum conditione servili; hunc enim perfecta charitas excludit, ut 1 Joan. 4 dicitur; fuit autem in Christo perfectissima charitas. Tamen, quod Concilium hoc sensu de servitute loquatur, eamque in Christo neget, voluntarie excogitatum est, solum ad eludendam Concilii auctoritatem; re tamen vera nullum habet fundamentum, aut in verbis Adriani et Concilii, aut in causa de qua tractabant. Primum patet, quia in toto illo Concilio nulla fit mentio de spiritu servitutis, qui procedit ex timore; si autem eo tantum sensu definiretur Christum non esse servum, sufficiens fuisset ostendere illum ex charitate et filiali reverentia obedivisse Deo, et non ex servili seu pœnali timore; nihil vero de hoc ibi dicitur, sed aliis rationibus ostenditur Christum non esse servum, ex majestate personæ ejus. Secundum patet, quia nulla historia aut conjectura constat, Felicem aut Elipandum appellatione Christum servum, ea significatione quæ ab spiritu servili sumitur. Neque ex verbis aliquibus quæ de illorum sententia in eo Concilio referuntur, colligi potest; neque ex confessione Elipandi, quæ ex libro Beati et Heterii profertur; nam ibi tantum dicit factum fuisse servum, sicut dicit factum fuisse hominem. Imo, dum simul ait Christum fuisse filium adoptivum, et habuisse charismata Spiritus, in quo clamabat: Abba Pater, et esse servum, sicut sunt alii Sancti, indicat potius sensisse, non habuisse Christum servilem spiritum, sed filialem. Neque enim omnes justi et filii adoptivi habent illum spiritum servilem, præsertim si perfecti sint. Neque est verisimile Elipandum sensisse, Christum fuisse filium adoptivum minus perfectum quam sint alii justi.

43. *Quinta opinio.* — Quinta responsio esse potest, solum voluisse Adrianum et Concilium docere, Christum non esse servum servitute pœnali ex peccato contracta, non tamen voluisse ab illo excludere servitutem naturalem, quam omnis creatura ex vi creationis habet ad Deum. Quod enim præter hanc naturalem servitutem sit alia in puris hominibus per peccatum introducta, certa res est. Imo servitus ex prima sua introductione et significatione, eo modo quo est inter homines, non significat naturalem conditionem, ut notavit Augustinus, 19 de Civit., c. 9, sed conditionem vilem et pœnalem jure Gentium introductam, qua is, qui liber erat, in pœnam delicti captivus efficitur, et desinit esse sui iuris, totamque libertatem suam et actiones

omnes sub dominio et potestate alius constitutas habet. Unde fit, ut neque bona propria possideat, neque cum suo domino in propriis ejus bonis communicet, neque habere possit jus ad illius hæreditatem obtinendam. Quod servitutis genus in bellis primum introduci cœpit, nam, qui morte plecti poterant, servabantur ut in captivitatem redigerentur, et inde *servi* vocati sunt, ut notavit Isidor., lib. 5 Originum, c. ult., ubi sic ait: *Hæc est sola malorum omnium postrema, quæ liberis omni supplicio gravior est, nam ubi libertas perit, una ibi perierunt et omnia.* Ad hunc ergo modum dicitur homo per peccatum contraxisse servilem quamdam conditionem, non quidem naturalem, sed pœnalem, non solum respectu peccati, quomodo qui peccat, dicitur fieri ipsemet peccati servus, quia quodammodo illi subicitur, et ad illi parendum trahitur; sed etiam respectu Dei, quia homo ex natura sua aptus est ut per Dei gratiam ad ejus amicitiam sublevetur, ut cum ipso in bonis ejus communicet, et jus ad illius hæreditatem accipiat, et in hunc finem a Deo creatus est; per peccatum autem fit indignus his omnibus bonis, et quantum est ex merito peccati, in perpetuam captivitatem sub Deo redigitur, et ideo merito servilem conditionem contrahere dicitur, et peculiari modo fieri servus vili et ignobili servitute, quæ ab hominibus excluditur, cum justi fiunt; ad quod possunt non male accommodari verba Christi: *Jam non dicam vos servos, sed amicos.* Quod vero in Christo Domino non fuerit hæc servitus, certius est quam ut nostra probatione indigeat, quia sicut in Christo peccatum non fuit, ita nec vilis servitutis status, qui ex peccato originem ducit, ut bene declarat Ambros., sermon. 6 in Psal. 118.

44. Dices: quamvis Christus non fuerit obnoxius huic servituti ob propriam culpam, tamen ob nostram fuisse videtur, nam vere ac proprie sumpsit pro nobis debitum satisfaciendi pro peccato; ergo, sicut vere factus fuit mortalis, ita et vere servus hoc genere servitutis. Sicut qui loco alterius se tradit in servum, ut sanctus fecit Paulinus, vere manet servus, etiamsi non sit ob propriam culpam. Respondetur hinc solum probari assumpsisse Christum pro statu viæ speciem quamdam et statum hujus servitutis, non tamen veram servitutem hujusmodi, quæ sine peccato et debito perpetuæ pœnæ proprie ac vere non existit; et ideo sub hac ratione certum existimo non posse Christum etiam ut

hominem appellari servum, nisi tantum per metaphoram, seu secundum speciem exterram; quomodo etiam peccatum dicitur pro nobis factus.

45. Denique, quod mens Adriani et Concilii fuerit de hac servitute loqui, nonnullæ sunt conjecturæ. Prima sumi potest ex verbis quæ in præcedenti responsione afferebantur, ex epist. Concilii: *Et si eum Propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, etc.* Quod enim ibi *conditio servitutis* pro spiritu timoris accipiatur, nullum habet fundamentum; quod autem sumatur pro conditione peccati et culpæ, habet maximum, tum quia servitus, ut dixi, ex primæva institutione significat aliquid pœnale, et ideo conditio servitutis merito dicitur ipsa culpa; tum etiam quia conditioni servitutis opponitur humilitatis obedientia, quia, nimirum, non passus est Christus tanquam debitor pœnæ ex conditione peccati, sed tanquam humilis et obediens filius. Tum maxime quia in illius sententiæ confirmationem adducit Concilium Leonem Papam, serm. 2 de Nativitate, hunc in modum dicentem: *Assumpta est de matre hominis natura, non culpa; creata est forma servi sine conditione servili;* certum autem est, apud Leonem eo loco, *conditionem servilem, culpæ statum* significare, nam illud ipsum quod dixerat, assumptam esse de matre hominis naturam et non culpam, per hoc declarat, quod creata est forma servi sine conditione servili. Quod si legamus *sine conditione servili*, ut aliqui codices legunt, æque bene quadrat; nam etiam ex hoc quod Christus non ex viro, sed ex Spiritu Sancto conceptus est, maculam culpæ contrahere non potuit. Quod amplius declarat sequentibus verbis: *Quia novus homo sic contemperatus est veteri, ut et veritatem susciperet generis, et vitium excluderet vetustatis,* id est, ita Christus assumpsit humanitatem ex veteri Adamo, ut veritatem naturæ ejus assumpsit, non vero vitium; hoc ergo fuit accipere de matre naturam et non culpam, formam servilem sine conditione servili; conditio ergo servilis apud hos Patres est vitium naturæ. Quidam auctor ad vitandam hujus testimonii vim sic citat et distinguit verba Leonis: *Suscepta est de matre hominis Domini natura, non culpa;* et super hanc lectionem fundat expositionem voluntariam, scilicet, quod cum in illis verbis: *Assumpta est hominis Domini natura, non culpa,* duo contineantur, primum, scilicet, quod

sit assumpta natura hominis Domini, explicatur per hoc, *quod creata est forma servi sine conditione servili;* secundum autem, scilicet, quod non fuerit assumpta culpa, declaratur per illud, *quia novus homo sic contemperatus est veteri, etc.;* et ita concluditur, conditionem servilem ibi absolute et simpliciter sumi, et non pro conditione culpæ. Sed imprimis illa lectio neque in codicibus Leonis reperitur, quod ego viderim, neque in Concilio ita citatur, sed codices Leonis frequentius legunt: *Assumpta est de matre hominis natura;* in Concilio vero juxta ultimam Romanam editionem, ita citatur: *Assumpta est de matre Domini natura, non culpa;* illa vero conjunctio *hominis Domini,* et reperitur nullibi, et fere inusitata est. Deinde illa partitio et accommodatio verborum non habet fundamentum in verbis Leonis. Imo, si attente consideremus priores duas propositiones, scilicet: *Assumpta est natura, non culpa, creata est forma servi sine conditione servili,* positas esse sine ulla causali nota, imo etiam sine ulla conjunctione, facile intelligitur eandem rem diverso modo ac diversis verbis in eis declarari; cum vero postea additur nota causalis, *quia novus homo, etc.,* manifeste redditur ratio utriusque partis contentæ in quacunque ex prioribus propositionibus. Qui sensus revera est adeo clarus et perspicuus, ut mirum sit potuisse de illo dubitari.

46. Secundo confirmatur et suadetur amplius hæc expositio, verbis quæ proxime subjungit Concilium: *Nonne secundum seculi nobilitatem Beatissima Maria Virgo ex regali et libera prosapia processit? Huic vero Virgini regie dignitatis Spiritus Sanctus accessit, et Filium ex ea procreari fecit. Mirum, si Spiritus Sanctus hominem ex ea non potuit facere perfectum et ingenuum?* Quibus verbis hoc solum intenditur et probatur, Christum ex vi conceptionis suæ servitutem peccati non contraxisse, non solum quia Deus erat (quod in hac ratione non tangitur), sed quia non ex viro, sed de Spiritu Sancto conceptus est. Unde hoc ipsum tertio declarant verba quæ statim in eodem Concilio sequuntur: *Sed et hoc volumus a vobis audire, an Adam, primus humani generis pater, qui de terra virgine creatus est, liber esset conditus, sive servus. Si servus, quomodo tunc imago Dei? Si liber, quare et Christus quoque non ingenuus de Virgine?* et infra: *Unde Adam fuit servus factus, nisi ex peccato?* etc. Constat igitur Concilium loqui de servitute ex peccato contracta. Nam,